



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Corpus Juris Canonici

Gregor <XIII., Papst>

Coloniae Munatianæ, 1665

Pio Pont. Max. Joan. Pavlv̄s Lancelottvs Jureconsultus Perusinus, S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62915)


PIO PONT. MAX. JOAN.
PAVLVS LANCELOTTVS
 JURECONSULTVS PERUSINVS, S.

Pontificii Juris Institutiones proximis annis superiorum Pontificum jussu & nos conscripsimus, & summi viri castigarunt, quæ quidem optandum sanè erat, ut iis in lucem prodirent auctoribus, quorum mandato & scripta & recognita fuissent, vel ea saltem ratione quod auctores ipsi munera nobis gratiora ac pretiosiora facere consueverint, & sæpe non tam quid, quam à quibus accipiant, homines soleant perpendere.

Sed quando id vel ratio temporum, vel alia quacung, causa fieri non sinit, illud certè nulla ratione committi debet, ut juris scilicet Pontificii Institutiones sub alterius, quam ipsius Pontificis nomine appareant, à quo Pontificia omnia jura emanant: velut enim ab Oceano deducta flumina in ipsum tandem resluunt, ita hoc, quicquid est operis, quod totum de Romanorum Pontificum Constitutionibus derivatum est, ad ipsum Romanum Pontificem, quasi ad fontem proprium, redibit. Ad te autem eo justius, quod magnis aliis animi dotibus, quibus ad Pontificatum tibi aditum parasti, exactissimam adjunxisti Juris hujus cognitionem. Vnde perbelle nunc accidit, ut quæ facultas optimum te meliorem reddit, & ad moderandam difficillimis temporibus Christianam Rempubl. instructiorem, eam nunc tu contra, cum Canonum conditor evaseris, beneficium reponens meliorem sis redditurus: cuius rei non dubia jam apparent indicia, cum ad restituendos antiquos Christianorum mores, atque hereses extirpandas, sanctissimas quotidie Constitutiones edere non desistas, quæ dubio procul Christiano gregi non minus futura sunt salubres iis ipsis quæ juris Pontificii, quod nunc tenemus, libros implent, ad illas autem Institutiones hæc nostra gradum fortè rudioribus facere poterunt. Accipies igitur eas placido ac benigno animo: nam si ita contingere senserimus, ad alia promptiores reddemur, & alacrior. Deus Opt. Max. te nobis diu incolumen, felicemq, servet.